BASINIO BASINI — ASTRONOMICON LIBRI (1201 vers)

## LIBER PRIMUS

A_1 v.1 Aetherios Orbes, subjectaque templa Deorum,
2 Musa, cane, atque vias semper volventis Olympi ;
3 curribus auratis quae Signa secutus iniquos
4 sol vehat ipse dies ; quae tempora noctibus addat ;
5 quae rapiat rursum tardis adjuncta diebus.
6 Hic age, magne, tuo, Malatesta, canende Poetae,
7 Castalias amplexe Deas, partire laborem
8 hunc mecum : neque enim sine te Parnassia nobis
9 antra patent, Musasque sinit Romanus Apollo.
10 Tu decus Aoniae, tu spes certissima Vatum ;
11 nec cuiquam potui, tibi quam felicius Astra
12 dicere, qui rerum causas, qui Sidera primus
13 cunctorum, et vasti scrutaris semina Mundi.
14 Nec levius fuerit quam condere bella, referre
15 Tellurisque, Undaeque locos, Animaeque, liquentisque
16 Ignis, et immensos Caeli describere tractus,
17 bella virum quamvis jam dudum, et proelia lusi ;
18 nuper ut invicti magnum meditatus honorem
19 Sismundi, et pulsos Tusco bis litore Iberos
20 qui cecini, ac veras juvenili carmine laudes ;
21 mox quoque Trojanas cupiam qui dicere clades,
22 magnanimosque duces Graiorum, actamque sub arma
23 Europam, atque Asiae Sigeo in litore gentem.
24 Interea, tardus quamvis, ad Sidera Caeli
25 accedes, quondam serisque vocabere votis ;
26 cum tamen in numerum Divorum veneris, opta
27 qua tibi parte Poli, qua sit regione manendum ;
28 et mecum Caeli jam nunc discurre per oras
29 aetherias, ventisque favens da vela secundis.
30 Ex Caelo, et Terra moles pulcherrima Mundi
31 constat, et haec inter Naturis ordine clausis.
32 Nam Pater omnipotens cum jam creat unus Olympum,
33 Terrarumque situs, tremulique liquentia Ponti
34 aequora, silvai disclusit corpore Mundum,
35 imposuitque novum Stellis ardentibus Orbem ;
36 quem super haud ulla est nec Terra, nec aequoris Unda,
37 non Ignis fervens, non humidus intepet Aer ;
38 nec supra, aut infra volvuntur corpora rerum ;
39 non dextra rebus fas est, non ire sinistra ;
40 non medio e spatio motus, non ante feruntur,

non post succedunt ; nec quicquam est corpore nullo ;
nec Locus ullus ibi est, nec terminus ullus Inani.
Ergo cuncta tenet magnum cum corpore Caelum.
Quod Pater ut vidit forma constare rotunda,
jussit ut aeterno traherentur Sidera motu,
cum nec stare queat revoluti machina Mundi ;
nam neque vis Animae, qua pellitur ipsa, quiescit.
Hinc intra se se Caeli se mobilis Orbis
torquet, et aeternum sua post vestigia fertur ;
quod locus extra ipsum nullus, non ulla meandi
copia, perpetuum fugiat se se, atque sequatur ;
tempore nec quoquam maneant agitata necesse est.
Vertit in Occasus Eois magnus ab oris
Mundus, et ingenti contorquet Sidera tractu.
Quem subter septem contra Pater impulit Ignes,
quinque Vagis addens duo Lumina magna, secarent
quae Caelum adversum, atque Annos, Mensesque referrent.
Orbe quidem summo fallax Saturnius ignis
fulsit, et ingenti signavit frigore Caelum.
Hunc infra placidi Jovis aurea stella cucurrit ;
ignea sanguinei sub quam Mavortis anhelat
fulgorem fax crine trahens, bellumque, metumque.
Parte fere media Sol aureus omnia cernit ;
quem Venus, et proles Cyllenia paene secuti.
Hos infra aethereae micuerunt cornua Lunae,
tum siccum invasit calor igneus Aethera primum,
aera tum calidum non humor ab Aethere longe
dispulit, et frigus sicca tellure potitum est,
Quam circum gelidae mediam liquor ambiit Undae.
Utque movet Caelum Divina Potentia certo
ordine, quae media est Tellus immota resedit,
quam circum ipse Polis Caelum dedit ire rotatis.
Nam Pater in tractus omnes Caelique, Marisque,
Tellurisque, Animaeque vias, Ignisque liquentis
funditur, et toto se miscet corpore rerum.
Terga dedit Mundo Genitor quae verteret Orbi
Eoo, occiduas frontem torqueret in oras ;
at dextrae partes tardum tenuere Booten,
Arcturique domos, magnamque Lycaonis Ursam,
Austrinosque situs laevum devolvit in Orbem ;
hinc alius Vertex aliusque hinc fixus utrimque,
quos dixere Polos, Austro, Boreaeque minantur.
His ita monstratis, superest Regione sub una
dicere quaque meant quae Signa, plagasque retentant.
Lacteus ingenti candore decorus, et auro,
nescit utrumque latus medii qui limite Caeli,
Fertur in obliquum, clarum Phaetonta relinquens,
temperat et totum flammis errantibus Orbem.
Inde Orbes alii varias tenduntur in oras ;
signifer est alios quorum pulcherrimus ante,
Temnia ducta triplex quem fecit utrimque refuso
margine Signorum ; media est via Solis iniqui,
defectus in qua Solis, Lunaeque patescunt,
vel cum tota Soror fraterno opponitur orbi,
vel cum Terra jacens inter fratremque sororemque,
ipsa negat caecae Titania lumina Lunae

cum cadit oceano nitidi fax lucida Phoebi,
et Luna opposita jam fertur in aethera Terra.
Inde Paralleli, Graio quos nomine dicunt,
quinque recensendi ; quoroum qui maximus unus
et medius fuerit, noctes aequare diebus
dicitur : unde illi nomen posuere profectum.
Sunt duo, non longis qui frontibus imminuuntur ;
alter in Austrinos infert sua terga recessus.
Hos inter mediumque sedent duo Signa reposta,
quae Tropicos vero dixerunt nomine Grai,
majores longe extremis, medioque minores.
Parte ab utraque Plagae finem posuere perustae.
Inde alii duo sunt, qui verticis ardua summi
amplexi capita, sparsi in diversa secantur
Inter se extremo in spatio, summosque recidant
quinque Parallelos dirimentes partibus aequis
quatuor, atque secant animalia magna gerentem
signiferum tali ratione, ut permeat alter
Phrixeam pecudem, justaeque examina Librae ;
alter et Aegoceron, et magni brachia Cancri.
Sunt duo praeterea, quos nos aequaliter omni
parte licet nobis terra comprendere iniqua,
quique secat mediumque diem, Caelumque profundum
dividit, alter is est qui terminat omnia visus.
Quinque Plagas Caelo posuit Natura creatrix,
quarum quae media est aeterno incanduit igni ;
at magno extremae riguerunt frigore Zonae.
Temperiem mediae duplici regione benignam
excepere duae ; mediam quas inter et ambas
dicimus extremas Caeli devexa profundi
cingula bina hominum generi concessa Deorum
munere ; de medio quae cum traxere calorem,
frigus ab extremis, gemina de parte profunda
temperies geminis infertur ab Aethere Terris.
Atque haec culta quidem latera, et Telluris utroque
margine clausa, virum spatiis gens exsulat aequis.
Nam media, ut perhibent, Plaga vasta sine urbibus ullis
magna procul magni patiens incendia Solis,
non volucrum nidos, magnarum aut lustra ferarum
sustinet, aut hominum genus improba pascit ; at illas
nix aeterna premit, foedusque amplectitur horror ;
hinc Boreas, illinc gelida Notus effluit aura ;
hic tepet Auster, at hic Aquilo non frigidus efflat ;
hoc vitio Caeli ; densum sed frigus utroque
vertice devexi semper spirabile Mundi.
At nobis Arctos sublime propinqua furentes
frigore demittit ventos, insana rigore
flamina perpetuo nobis ; quae torrida dum se
trans spatia evolvunt calidis contraria pennis,
nubila dant populis adversa tenentibus arva.
At nobis longe Mundus consurgit in arces
Sithonias, gelidumque Polus se tollit ad axem.
Obliquus late Signorum flectitur Orbis
transversum, et longo circumspicit ordine Zonas
quatuor, atque secat mediam, quae semper ab aestu
fervet, et ardenti collustrat lumine Caelum.

Ergo inter medias quoniam latissimus Orbis
signiferum decuit, quod clara, et maxima Signa
verteret, incubuit magno per Sidera tractu,
quae duodena sedent incurvo lucida Circo.
Primum Aries signum ; sequitur quem Taurus acutis
cornibus ; hinc gemini Ledaeia sidera fratres ;
at Cancrum Herculei sequitur quoque forma Leonis ;
hunc Virgo ; hanc justae pendentia pondera Librae.
Scorpius hanc sequitur ; post quem sua spicula Chiron
tendit ; at Aegoceros premit hunc quoque cornibus alte
auratis, curva cui surgit Aquarius urna ;
ultima quem Pisces, caelestia signa, secuti.
Tempora Signorum numeramus ab Orbe supremo
hibernum ad cyclum vertenti Sole ; reverso
inde etiam ad summas imis de partibus oras,
cum semel a Cancro Capricornum Phoebus ad imum,
Et semel ad Cancrum Capricorno venit ab imo,
aut etiam medios legit cum passibus Orbes,
aequat ubi noctes Aries, aut Libra diebus,
vel sursum Phaethon fugit, vel fronte deorsum.
Hinc atque inde sedent vasti miracula Mundi,
quae Pater ex hominum specie caelestia fecit
sidera, tum mutis etiam sua forma remansit ;
ut Corvo, et Lepori, Cygno, fulvoque Leoni.
Orbe prius fixas summo dicemus, et ortus
atque obitus, magno faciunt quos Sidera Mundo.
Ac nobis qua nam vertex spectatur et Arctos,
ordiri melius dextra de parte licebit :
namque duae spatio spectantur verticis Ursae ;
fluminis instar enim circum interlabitur Anguis.
Magna supina caput parvae tegit ipsius Ursae ;
nam medium pedibus calcat fera parva Draconem,
cujus in extrema latitat quoque maxima cauda,
quo caput usque suum simul ipse retorserit Anguis.
Vertice magna tenet septem, sed in auribus ambas,
unam humero stellam ; duo sunt pede sidera in uno
postremo ; atque alio sub crure est una, cavoque
una humero ; geminae parva sunt denique cauda.
Parva pedum stellis paribus vestigia fixit ;
tres caudam supra ; quarum quae proxima summo est,
ipsa Polus, quoniam est immobilis ipsa, vocatur.
Anguis utroque sedent duo tempore sidera, bina
sidera sunt oculis ; mento stat sidus in imo :
namque decem stellae reliquo sunt corpore toto.
Nec minus Arctophylax, carae custodia matris,
ipse pedem dextrum aestivo super addidit Orbi.
Huic humeros, pectusque secat quoque Circus ab imo
Aegocero, summi tangit qui brachia Cancri.
Non cadit oceano citius quam Cancer, et ambo
Tyndaridae, ac magni pateat quam forma Leonis.
Quatuor hic laeva stellas gestare videtur ;
pectore tres dextro ; laevo sed pectore solam ;
supra humerumque duae spectantur utrumque repostae ;
una caput supra est, cubitum subit altera dextrum.
Sidera quin etiam pedibus sunt bina duobus ;
nascendo curvas solet hic praecedere Chelas.

Inde novem numero Cressam fecere Coronam,
Arctophylax humero tangit quam forte sinistro.
Occidit haec Cancro, magnoque oriente Leone,
nascitur, extulerit cum brachia Scorpius orta.
Inde tenet laeva pellem quae forte Leonis,
quae genibus flexis magnam se extendit ad Arcton ;
Herculis effigies, nati Jove, magna videtur,
colla Draconis habens pedibus subjecta, Leonis
exuvias laevaque tenet, dextraque gravatum
robur, et infestae minitantia pondera clavae.
Hunc quidam credunt Cetea Lycaone cretum,
qui dicunt illum natam spectare Megista.
Hic humero aestivum contingit denique cyclum ;
ipse pedum digitis Arctoa prioribus arva
terminat, atque alio calcat pede colla Draconis
Hesperidum sacros servantis ab Hercule ramos,
dextra sub Aestiferum manus est extenta, sinistra
Erigonem tangit, stat vertice stella sed una,
altera stat laevi media pro parte Leonis ;
sub cubito dextro micat altera ; utraque papilla
singula ; sunt femori geminae, sunt poplite binae ;
altera crure micat, pede et altera maxima. Post hunc
est Lyra, quae pulchra testudine spectat ad Arcton,
inque Notum tendens vertit diversa cacumen.
Occidit haec, oritur cum jam pulcherrima Virgo.
Eripit haemonia Chiron cum tela pharetra
inflexum ostendens terris mirantibus arcum ;
nascitur aethereas Caeli manifesta sub oras.
Terga super stellae fulgent cui grandia binae,
atque utrumque latus geminas habet ; exstat utroque
stella humero ; partes imas habet una ; sub ipso
vertice et una later. Superos quis crederet umquam
mutorum varias aliquando habuisse figuras ?
Flumineaque Jovem Cygni vestire figura
quis dubitet, cupidi norit qui furta Tonantis ?
Qualis olorisoni viridantia ad arva Caystri
accolit herbosas piscoso flumine ripas ;
talis in aethereis Olor est pulcherrimus oris ;
ala tenet cujus magnam sublimiter Arcton,
tenditur aestiferum sed et altera pene sub Orbem ;
flexigeni tangit pede sed vestigia summo ;
aestifer ipse secat reliquo de corpore rostrum ;
cauda caput Regis contingit denique Cephei.
Virgine cum pulsa, chelisque cadentibus, ipse
labitur, atque caput terris immergit opacis ;
exoritur magni surgunt cum brachia Cancri.
Colla tenent unam, longae unam temnia caudae ;
quinque sinistra tenet spatiis ingentibus ala,
altera quinque ; caput solam tenet. Inde videtur
Cepheos effigies soceri tibi, maxime Perseu,
Arctoo inclusi summo cum vertice Circo,
et pedibus ; verum caput extulit orbe relicto.
Huic, humeros praeter cum vertice, protinus alto
non cadit oceano pars ulla, sed Angue sub ipso,
quem facit ipse caput vacuas cum tollit ad oras,
bracchia projectis tenet in diversa lacertis ;

a pede quin Ursae tantum distare minoris
ipse videtur enim, quantum inter utrumque duorum
ipsius esse pedum, terras caput omne subintrat,
nascitur aethereas cum Scorpius acer ad oras ;
cum Chirone caput claro quoque reddit Olympo,
sidera cui sacra monstrantur bina tiara,
in manibus duo sunt ; duo sunt sub pectore dextro ;
cingula terna tenent ; fulgent duo poplite laevo ;
bina pedes servant. Supra hunc stat regia conjunx
Cassiope inverso longe subnixa sedili.
Huic latus ut ternum est, designant sidera terna ;
huic regit Arctoi demum vestigia Circi
summa pedum tardus, circum quem ducitur, Orbis ;
ventus at effigies aestivas tendit in oras.
Lacteus hanc mediam Circus secat ; oceano se
abluit, oceano cum Scorpius exit ab alto ;
nec minus Haemonias semper videt orta Sagittas.
Vertice stella micat ; dextra stat clara papilla
una, humerisque duae ; lumbis est scilicet una ;
in femine una etiam laevo ; duo poplite summo
sidera ; stella pedis tenuit vestigia dextri.
Propter eam posita est miris quoque filia Signis
Andromede, alati supra caput alta mariti,
juncta caput nigrum ventri, quem praepes ad auras
Pegasus extendit Perseis notus habenis.
Huic medium pectus secat Aestifer, atque sinistram
forte manum ; Pisci simul occidit ; extulit autem
Piscibus os natis, et aperti vellere Phryxi.
Lucentem capiti stellam tenet ; utraque bino
stella humero ; laeva protensa ostenditur una ;
sub cubito laevo micat altera ; quatuor amplo
pectore subter enim ; cubito sedet altera dextro,
inque manu femori conjuncta est una, genuque
una ; duaeque pedi dextro ; pede sola sinistro ;
crure duae, summo sedet haec, sedet altera talo.
Nec te transierim, Graium fortissime Perseu,
magne virum victor, cujus secat Aestifer Orbis
crus laevum, atque humerum magna cum parte sinistrum.
Ipse manu dextra Arctoum contingere Cyclum
visus es, Aurigaeque caput pede supprimis uno
tu dextro, atque cadis tollit cum spicula Chiron,
et Caper auratam signavit cornibus Aethram.
Nasceris hic Aries cum surgit, et aurea tollit
cornua Taurus ; habes humero sed sidus utroque ;
sidus habes dextra, curvam quae sustinet Harpen.
Sidus habes laeva, quae Gorgonis ora Medusae
suggerit, at stellis circumdata quatuor ora ;
Altera ventre micat ; lumbo altera, et altera dextro
pro femore ; una genu, sura altera ; stat pede sola ;
altera sura duas tenuit ; tenet una sinistrum
stella femur. Tali Danacius ordine Perseus
cernitur, Heniochus verso quem nomine dicunt.
Aurigam Olenium pecus alto in vertice gestat,
fortis Erichthonius celeri qui jungere curru
quatuor ausus equos primus, qui torquet habenas
nunc etiam, victorque rotis certamina jactat.

Vertice stella micat, sub qua caput omne Capellae
dicitur, atque humero stella est aequalis utroque.
Ipse tenet laeva geminos sublimiter Haedos ;
aetherias tardi qui dum venere sub auras,
tum cadit ad terras magnai flumen aquai.
Stella tenet laevam ; summo micat una lacerto ;
singula sub cubito stella est dextroque sinistroque ;
aestivum ipse suo contingit poplite Circum.
Pes dexter Tauri cornu conjungitur uno
sidere ; sed totus Perseis denique plantis
subditus, ad magnam quoniam caput exerit Arcton.
Occidit haemonias caelo ducente Sagittas,
cum semel hiberni redierunt cornua Capri.
Nec procul Anguitenens cinctus Serpente retorto ;
Amphitryoniaden alii dixere retortum
Serpentem ad ripas mactantem fortiter amnis
Lydorum Sagaris ; quin Carbonanta Getarum
qui memorent etiam multi regem esse fuerunt.
Illum flava Ceres claro suffixit Olympo,
quod male Triptolemum dulcem statuisset alumnum
perdere, ut anguineum conetur stringere guttur,
colla tenens dextra pressa cervice, videres
ut caudam, laeva, dextra surgente, cadenti.
Vertice sidus inest, humero sed utroque duarum
lumina stellarum ; laevo sed terna lacerto ;
ilibus at geminae ; genibus sat bina duobus ;
at dextra una micat ; media pulcherrima sura ;
una pede in dextro micat hinc, micat altera laevo.
Aestifer huic humeros toto de corpore vellit,
cumque genu, noctes aequat qui forte diebus,
limite composito finitur ab Orbe ; sinistro
projecto pede curvus ; et est testudinis Orbi
innixus, dextra tangit quam Scorpius una
subjectus planta ; Cressae stant ora Coronae
proxima squamosi Serpentis ; at ima repellit
cauda Aquilae caudam ; terris se condit opacis,
cum superas veniunt Ledeia sidera ad oras ;
cum procul oceani, cum caerula Tethyos unda
abluit Herculeum media plus parte Leonem.
Exoritur, surgit cum Scorpius, atque sagittis
ipse refert plenam Chiron cum forte pharetram.
Quatuor in cauda Serpentis sidera dicunt ;
sunt duo pro medio, sunt sex prope sidera terga,
sunt sex in media fulgent quae lucida spira.
Gutture terna subest ; stella est in vertice bina.
Inter et Aequantem noctes hinc forte diebus,
aestivumque Orbem positam dixere Sagittam.
Herculis e numero fuit haec, quae plurima tergo
tela ferebat Hylas, magnos quae magna labores
monstra feraeque dabant olli, dum pectora Nesi,
dum sequitur magni fugientia terga Leonis.
Hanc sub signo Aquilae positam voluere, sed Orbis
hanc secat ille, Polis qui stans admotus utrisque
Aegocerum, oppositique petit cava brachia Cancri.
Cuspis ad Aequipedum regionem versa, sed una
Anguitenente subest pars prima ; haec quatuor astra

contininet, ut primum prima sit parte locatum ;
unum cuspis habet ; media duo fixa sub hasta.
Occidit ut caelum flammis Astraea petivit ;
nascitur, oceano cum Scorpius exit ab alto.
Ast Aquila Aequantem noctes non funditus alam
extra Orbem dextram, non longe a vertice laevam
Anguitenentis habet ; reliquo de corpore rostrum
ille secat, Cancrum Capro qui tangit ab hirto.
Lacteus hanc mediam simul ipse excidit et Orbis.
Occidit illa novo jam tum nascente Leone ;
exoritur claras Capro veniente sub oras.
Hanc ego crediderim trepido portasse Tonanti
fulmina, Phlegraeae fremerent cum proelia pugnae.
Vertice stella micat ; mediis sunt bina sub alis
sidera ; stella super mediae stat margine caudae.
Nec procul incurvum fas est Delphina videre
scilicet, adverso longae qui verbere caudae
aequantem noctes contingit forte diebus,
Pegaseoque jacet capiti vicinus ut ortus
extremo liquidas viso Chirone sub oras.
Occidit, exorta est toto cum vertice Virgo.
Vertice bina micant ; supra caput altera bina ;
bina tenent caudam ; duo sunt in pectore ; tergo
sidus inest summo. Sed Equus quum spectat ad Arcton
aestifero pedibus Circo connixus, et imo
ore caput magni tangit Delphinis ; at Urnam
qui tenet, hujus habet dextram cervice volutam.
Naribus huic duo sunt ; duo sunt in vertice, ut unum
fronte sit in media ; sit aure sed altera stella ;
unam mala tenet dextra, et cervice comanti
quinque superque alia est ; genibus stat singula utrisque ;
Ante genu sola est ; inter micat altera crura ;
ventre sub, Andromedes una est quae stella vocatur
occidit ille uno cum Pisce, super jacet illi
qui primus ; pluvia cum surgit Aquarius urna
nascitur, atque nives Caelo defundit aperto.
Protinus hinc laevos cursum flectamus in Orbes.
Pistris Delphinum caudas commissa ferino
pectore, celsa caput rabido levat ore lupino ;
hiberno secta est caudae cui denique Circo
pars media, Eoas rostrum quae vertit ad oras,
extremumque pedem Phryxei velleris urget.
Ipse caput monstro refluenti proluit unda
Eridanus ; natoque cadit fera bellua Cancro,
nec minus oceano se se condente Leone.
Cum Tauro et Geminis surgentibus orta videtur.
Ventre micant numero sex sidera ; tum duo summa
sunt cauda ; longae sunt quinque volumine caudae
usque sub incurvum ventrem deducta. Fluentum
Eridani undosum latis diffunditur oris,
a pede qui laevo veniens Orionis ipsam
Pistrin adit, Leporisque pedes amplectitur, Austrum
pressus ad emotum, Circus quem dividit illo
e spatio, grandi quo jungitur ordine Ceto.
Occidit, exoritur cum Scorpius atque Sagittas
qui gerit haemonias ; oritur, cum brachia Cancer

extulit, et Gemini venere sub aethera fratres.
Tres stellas primoque volumine, tresque secundo,
septem habet extremo longae qui flectitur undae
fluxus, et ingenti designat flumine Caelum.
At Lepus ipse pedem sub laevum Orionis Orbem
per gelidum fugiens, ab eo divisus, in ima
parte sui multa stans corporis, occidit orto
jam Chirone ; venit caelo veniente Leone ;
auritumque caput stellis insigne duabus
gestat, et in vario geminas quoque corpore stellas ;
singula sunt pedibus fulgentia sidera primis.
Oriona secat noctes aequare diebus
qui solet, a zona, reliquoque a corpore toto.
Dextra tenet clavam cui Tauro dura minantem.
Vertice terna micant huic sidera clara, sub ipsis
auribus et totidem ; cubito sed languida dextro
una, manuque alia est ; tres sunt in margine zonae ;
poplitibus geminis duo sunt et sidera clara.
In pedibus duo sunt, sed languida ; sunt tria clava.
At Canis occasus spectat quum vertice Mundi,
dum Leporem sequitur fugientem, clauditur Orbe
hiberno, atque pedem dextrum sub Orionis urget
vertice ; ad Aequantem noctes caput extulit orbem.
Occidit exorto Chirone, exsurgit et idem
cum Cancro ; emissae protendit imagine linguae
stellam unam, ipsa Canis quae dicitur ; altera summo
stat capiti, Graio dicunt quam Sirion acrem
nomine, quae morbos molitur ; utraque sub aure
una parum lucens ; pede stat sed terna priori ;
pectore sunt geminae, atque humero tres denique laevo.
Ilibus una sedet, cauda sunt quatuor ipsa ;
postremis pedibus duo sunt. Sed Lacteus Orbis
te, Procyon, pedibus fixis tenet ; arripis autem
aequantem noctes Mundi conversus ad oras,
occasum spectas, Geminos Cancrumque quod inter
diceris ; ante Canem magnum quod nasceris, inde
nomen habes Procyon ; Capricorno oriente fugaris ;
exoreris magno caelum scandente Leone,
Tresque tuae faciunt stellae nova signa figurae.
Thessala nec procul hinc hibernum Puppis ad Orbem,
ipsa Canis caudam tangens majoris iniquam,
ima Polum cujus nostra tellure sepultum
pars habet ; occiderit, nascetur ubi ille Sagittas
qui gerit haemonias, Capricornus et ipse renasci
ceperit ; at virgo primum cum candida caelo
venerit, haec notas spectabit proxima Chelas
quinque gubernatio lucent huic sidera primo ;
quatuor astra Ratis clavum tenuere secundum ;
quinque sub incurvae numero jacuere Carinae ;
quinque sub haec vitreo ceciderunt lucida ponto ;
quatuor ad malum ; latitat pars una, nec Argo
tota patet nobis, nimium quod vergit in Austrum
Canobos e medio se aplustre refundit, ut aiunt
qui Rhodon, et madidi penetrarunt alva Canopi.
Nititur austrino pedibus Centaurus et Orbi,
hibernumque humeris adtollit in aethera Circum,

et caput Herculeae jungit sublimiter Hydrae.
Ipse tenens dextra Leporem decurrit ; hic ore
et pedibus primis pendet porrectus ad Orbem
Hibernum, inter eum, atque Austrinum postus ; et ipsi
semifero demit de corpore cura relicto
lacteus, aethereum caeli qui amplectitur orbem.
Conditur oceano nata cum Piscibus Urna ;
Scorpius haemonias urget cum forte Sagittas
nascitur ; hic summo tria vertice sidera gestat,
non obscura quidem ; sed nec clarissima signa ;
singula cuique humero stat clara, atque una sinistro
fixa humero ; illa manu ; sub pectore lucet equino
illa ; sub ingenti sunt pectore quatuor ipsi
lucida ; ventre duo formae spectantur equinae ;
tres cauda, lumboque alia est, genibusque supremis
singula, poplitibusque duae ; sub pectore sola est.
At Lepus ut captus magnis cadit hostia Divis,
parte pedum extrema stellam tenet ; at duo cauda
sidera sunt summa, capiti tria, pectore stella est ;
at pedibus primis una est quoque clara, sub ipso
pectore et una latet ; sic Hostia. At illius inter
et caput et Scorpi caudam jacet Ara prope Orbem
Austrinum ; ipsa cadit, Aries cum cornua tollit
aurea ; nascenti Capricorno nascitur Ara.
Huic duo pro summo stant astra cacumine celsa ;
huic duo praeterea spatio dicuntur in imo.
Hydra trium spatium signorum intercipit, alti
summa locum Cancri, post Virginis, ante Leonis ;
inter et Aequantem noctes est ipsa diebus,
hibernumque simul longo cum corpore Circum,
ad Procina usque caput tendens ; sed quarta sub ipsum
aestivum, Aequantemque dies pars ducta suprema.
Cauda caput magni Centauri protegit, atrum
sustineat tergo ut Corvum Cratera moventem.
Virginis ille inter ferventiaque ora Leonis
exstat, et Hydrai capiti se inclinat ; at illa
occidit obliqua cum surgit Aquarius urna,
et nitidi Pisces primum tenuistis Olympum.
Tres capiti stellae, primoque volumine ab ipso
vertice quinque micant ; tres curvatura secunda,
quatuor at terna, atque duas pars quarta ; sed ipsa
cauda tenet quasdam minimo fulgore micantes.
Gutture Corvus habet stellam, pennasque duabus
insignitus, habet caudam prope bina remissam.
Ipse caput Crater magni qui prospicit Anguis
bina gerit labris ; geminas obtusa sub ansas
sunt duo ; ventre duo ; duo sunt pulcherrima fundo.
At Notium graio dicunt quem nomine Piscem,
dicimus Austrinum patrio sermone loquentes.
Hibernum, Austrinumque orbes spectare sub oras
Eoas media regione, interque videtur
Aegoceron, curvamque tenet qui fortiter Urnam.
Effusas hic potat aquas, quibus Urna cadenti
ora ferit fluxu Pisci ; cadit ipse, renasci
incipit ut Cancer ; sed Piscibus eminet ortis.
A capite ad caudam bis sex sunt sidera Pisci.

Protinus aethereum ducunt quae sidera Solem
exsequar, Aequanti noctes namque orbe diebus
primum Aries signum est Eoas versus in oras,
ora caputque novum magni quod magna Trigoni
forma tegit ; pedibus Pistrin contingit ; at olli
vertice stella micat ; tres cornibus ; efficit autem
terna locos, magni causa est quae stella Trigoni,
Trinacriae in morem, magnae vel imagine Terrae ;
tres cervice micant ; pede stella priore, sed una
cum tribus ac totidem lumbis sunt sidera clara ;
Ventre sub una jacet, pede stat quoque sola supremo.
Taurus at Europae vector dehinc candidus ortum
signorum spectans, media qui parte locatur,
cernuus ad terras flectit caput ; huic secat Orbis
ille genu, noctes aequat qui forte diebus ;
quippe pedem Aurigae cornu petit ipse sinistro.
Inter et ora hujus, caudam vectoris et Helles
et Phryxi, septem sunt sidera ; Pleiadas aiunt
Graiugenae ; et summis duo sunt in cornibus, unum
clarius inde laevo ; duo sunt pro lumine bina ;
fronte tenet solum ; duo sunt ubi cornua nasci
incipiunt ; Hyadas Graii dixere, quod, ortis
his, cadit ad terras magnai flumen aquai.
Inde genu laevo stellam tenet, altera dextro
subsidet, atque pedis gerit ungula dura bisulci
unam etiam ; atque imo tres pectore ; pectore in alto
una aliis longe fulgentior. Inde Gemelli
Tyndaridae Aurigae dextra de parte locati
Oriona super, quum sit tamen altus Orion
hos inter Taurumque, secat capita orbis eorum
perficit Aestatem qui cum Phaetonte recepto ;
a pedibus superas redeunt hi namque sub oras.
Proximus est Cancro qui frater, habere videtur
vertice sidus enim geminis duo sidera in armis ;
sub dextro sola est cubito, geminaeque duobus
poplitibus stellae ; pedibus sunt bina duobus.
Alter item capiti stellam tenet ; exstat utroque
singula stella humero ; stella est in poplite dextro ;
singula utraque manu ; stella est in poplite laevo ;
singula cuique pedi, atque pedem sub stella sinistrum.
Aestivus Cancrum medium secat ipse Leonis
adspectans ortus, paulum capiti imminet Anguis,
convexaque tenet testudine sidera bina,
quae tardos, Vates Graii, dixistis onagros.
In pedibus dextris non lucida singula multum ;
at laevo duo sunt primo pede luce minora ;
sunt pede nec multum fulgentia bina secundo ;
tertius ast unam pes suggerit ; ultima quarto
stella pede est ; unam primo tenet ore cadentem,
chela sinistra duas, tres dextera chela minores.
Spectat ad occasum violenti forma Leonis,
et super herculeae corpus protenditur Hydrae.
Aestifer hunc medium Circus secat, ordine ducto
a capite ad medium, Cancer qua tenditur, orbi
ipse pedes primos submittens ; occidit idem
a capite atque oritur ; ternae stant vertice stellae,

At cervice duae ; sola est in pectore ; cauda
una ima ; mediaque alia est ; in ventre sed una est.
Ventre sub una jacet ; geminae sub pectore stellae ;
una priore pede est laevo ; stat poplite laevo
una, duaeque humero ; nate stella infigitur una.
Una pede extremo in dextro, stat et una sinistro,
una genu extremo : magnique haec forma Leonis.
Protinus Erigone sequitur pulcherrima Virgo.
Ipsa pedes infra magni portenta Bootae
vertice postremam partem ferit alta Leonis ;
aestiferum dextra contingit denique Circum.
Corporis inferior pars imae desuper Hydrae
imminet, atque caput terris immergit opacis,
cetera membra cadant quam funditus ; huic caput ingens
stella tegit parva, atque humero super altera laevo ;
una alio ; geminis binae stant Virginis alis ;
singula utraque manu ; sex veste micantia ; plantis
sidera bina cavis : tali est Astraea figura.
Hanc Canis ad patrium perduxit fida cadaver,
quod Rhiphaea manus terra occultarat opaca.
Unde Canem Icarium quidam dixere putantes
hunc ipsum caelo patrem statuisse Lyaeum.
Quae simul ac dira conspexit caede Parentem
confectum, fuerat quae desuper arbore ab alta
multa precata Deos, curas testatur inanes
illorum, ac turpi defregit guttura nodo.
Virginibus magni dehinc Cecropis urbe creatus
mos erat aetherias corpus librare sub auras,
Virginis ut magnum tenuarent sacra dolorem,
annuaque aestivi portarent frigora venti.
Scorpius Aequanti noctes super Orbe diebus
protendit geminas, dicunt quae brachia, chelas,
subditus Anguiferi pedibus, postremaque tangit
hibernum cauda e longo nova corpore Circum.
Hostia nec procul hinc quam fert Centaurus ; obitque
in caput ; exoritur chelys erectus ab ipsis.
Bina tenent chelae duplicata sidera stella ;
fronte ter et ternas ; sunt quoque in ventre ; sed ipsa
sunt totidem cauda ; cauda duo sidera summa.
Excipit hic chelys mediam aequo examine Libram.
At Chiron certo contendit spicula cornu
versus in occasum, veluti qui mittere tela
incipit ; hibernoque tenet sua corpora Circo,
a pedibus humeros projectus ad usque latentes
intra Orbem hibernum, caput extra hunc extulit Orbem.
Lacteus huic arcum medium secat Orbis ; at illi est
ante pedes magnae Gortynia forma Coronae.
Occidit hic praeceps ; duo sunt in vertice summo
sidera ; bina micant curvis in flexibus arcus ;
stella micat, summa fixa est quae forte Sagitta ;
una manet cubito in dextro, laevoque priori
una, duaeque humeris ; una est in pectore ; at una
fixa pede est, alia atque alia est in poplite ; at illa
fixa genu, haec cauda. Capricornus ad ora voluti
aeternum Mundi spectans, ac fixus in ipso
signifero ; hibernus caudaque et corpore toto

hunc secat Orbis ; et est suppostus, Aquarie, laevae
forte tuae, ac stellam simis fert naribus unam.
Sub cervice una est, duo sunt in pectore clara
sidera ; stella pedi est primo ; micat aurea primo
una alio ; inque humeris sunt quinque ; in ventre duobus
addita quinque ; duo sunt ipsa lucida cauda.
Talis et Aegoceros. Sequitur sed Aquarius urnam
qui tenet invertam, Phrygia Jovis ales ab Ida
quem tulit ; ipse pedes hiberno innititur Orbi.
Porrigit hic laevam, Capricorno quae tenet unum
sidus, Equi tergum contingit dextra Persei
atque jubam ; hic ortus spectans resupinus inani
corpore ; fluxus aquae Piscis ferit unius ora.
Occidit a capite, atque oritur quum cetera surgant
membra quidem citius ; duo sunt obtusa comanti
vertice ; magna humeris duo sunt, unumque sinistro
sidus inest cubito ; duo sunt in utraque papilla,
unum lumbus habet ; genibus spectantur utrisque
singula, sed dextro solum sub crure videtur,
in pedibusque duo longe spectantur utrisque ;
sex Urnam atque decem cingunt a parte sinistra
et fundo. Hinc Pisces spectantur ut ultima Mundi
sidera ; quorum uni nomen regione propinqua
Austrino est ; alter Boreae de parte Boreus
dicitur ; Aequantem noctes, Aestivaque signa
inter, et Andromedes sub magnum forte lacertum
tenditur, et longo perspectat corpore Mundum,
Parrhasiasque jacet longum porrectus ad Ursas.
Alter in extremo qui fert animalia Circo
signifero duodena jacet, sub equina volutus
terga humerosque manens, nec longe Aequante diebus
a Circo est noctes ; occasum spectat ad ipsum.
A pede Phryxeae pecudis sunt sidera multa
quae veniunt ad eos, et circum terga volutant
squamea, et auratis innectunt corpora signis.
Conjunctura jugat Pisces quae forte, sub Arcton
spectat, et haec ternas stellas habet ; altera pars tres ;
tres ortum versus ; junctura tres quoque in ipsa ;
caelestem veteres Nodum dixere Poetae,
Ariete de summo quae venit ducta ; nec ipsis
Piscibus haec sola est. Mesembrinos ille vocatur
qui locus est stellis, numero quas dicere non est.
Hic locus Orbis is est, tangit quem Circulus, aequat
qui noctes, junctu cyclorum Nodus, et idem
caelestum nexus. Satis haec dixisse rotanti
orbe super magno, miris qui sidera signis
nexa tenet cursu semper volventis Olympi.

# LIBER SECUNDUS

A_2 v.1 Quinque Vagas etiam, nec non pulcherrima Mundi
2 lumina bina canam, rapido contraria caelo
3 quae faciunt cursus, variasque feruntur in oras,
4 sed non tam celeri, quam caetera sidera, motu.
5 Ordiar unde igitur ? Mirer quae sidera prima ?
6 Quae postrema sequar ? Te ne, o pulcherrime rerum
7 Phoebe, prius ? Te Luna prius Latonia monstrem ?
8 Incurvumne Senem curva cum falce minantem ?
9 An Superum regem, caeli cui magna potestas ?
10 Mercuriumne dolis insignem atque arte loquendi ?
11 Tene etiam, Cytherea, tuo cum Marte silebo ?
12 Pauca equidem cunctis super ignibus orsa movebo
13 ipse aliis ; de te, Sol auree, multa canenda,
14 multa mihi referenda modis insignia miris.
15 Atque ideo a summis quoniam certissimus ordo
16 ille fuit, breviter Saturnum dicere pergo,
17 triginta magnos Solis qui perficit annos,
18 ante suum pleno condat quam limite cursum.
19 Quem subter senos currit bis Jupiter annos ;
20 quinque sub hunc menses geminum Gradivus et annum.
21 Sol duodena premit revoluto sidera Mundo,
22 quatuor efficiens divisum partibus Annum.
23 Quem Venus, et proles Cyllenia paene secuti.
24 Vigintique dies septemque argentea Phoebe,
25 dimidiumque tenes tenuatis cornibus Orbem
26 occultum geminis tenet intempesta diebus.
27 Haec septem primo currunt contraria Caelo.
28 Cum cadit oceano nitidi fax lucida Phoebi,
29 jam sequitur tenui germanum Cynthia cornu ;
30 nec procul erubuit fraternis proxima flammis.
31 Pulsa retro septem Caelum tenet alta diebus
32 jam medium ; Phaeton sacra dum se abluit unda.
33 Inde alios septem postquam confecit, obitque
34 Sol procul ; illa procul claris se tollit Eois.
35 Post alios septem media se nocte reducit ;
36 post totidem parvis fratrem complectitur ulnis.
37 Nec longe inter se Latonia pignora ab ortu
38 vicino surgunt, donec nova protulit ora,
39 atque iterum occasum versis exivit habenis.
40 Nec minus hac Solem certum est se parte movere.
41 Ipse Aries oritur ; post ipsum cornua tollit
42 aurea Taurus ; at hunc Gemini sunt deinde secuti.
43 Sidera si secum converteret haec vaga Mundus,
44 a Tauro in geminos umquam non ista redissent ;
45 nam retro fuerant nivei post cornua Tauri
46 Tyndaridae gemini ; Geminis nec deinde relictis
47 signa tenerentur perarato caetera Mundo ;
48 quippe globi numquam variantur in Orbe locati
49 stellifero, atque Hyadas propria regione videmus,
50 Ambrosiam, Eudoramque simul, flavamque Polyxo.
51 Non aliter juxta Pleiades adspiciuntur
52 Taygete, ac Maie, et Neptuno admixta Celaeno,

Alcyone, Meropeque soror, Steropeaque mater
Oenomai ; una latet Phrygiis Electra ruinis.
At quae cum Caelo volvuntur, tractibus aequis
omnibus a Terra distant. Excentrica sunt haec
sidera, quae Graio dicuntur nomine, Solem,
ut liquet, et Venerem spatiis praecedere iniquis.
Namque videmus enim, sacris cum se abluit undis
Phoebus, et ardenti subducit lampade terras,
ire simul post hunc Autumni nocte Dionem,
nocte eadem extrema ante ipsum spectantur eadem.
Nam Venus illa ipsa est, quae Lucifer orta vocatur
ante diem ; oceano cum Sol se tinguit Ibero,
Hesperus, Hesperiae de nomine dicta propinquae est.
Haec sub Signiferum gradiuntur. At aureus Orbem
ipse secat medium Phaeton ; at caetera utroque
margine non rectis discurrunt sidera Cyclis.
Illa Notos fugiunt interdum Aquilonis ad axem ;
haec aurem a Borea tepidum vertuntur in Austrum.
Nec vero citius vel tardius ulla vagantum
stella meat, quamvis Lunam praecedere Solem
cernimus, aut Solem magnum transire Gradivum ;
hunc superare Jovem, vincat qui deinde parentem,
diversi tantae spatii est victoria causae.
Mercurium, quamvis Stilbonta vocare Pelasgi
non dubitant, numquam scintillas promere fas est ;
quinque Vagas sparsos nec ducere crinibus ignes.
Cura sit Heliacos obitus, quos sidera caeli
fessa timent, Phoebum cum jam fugere propinquum,
discere, et admotis cedant quae Solibus astra ;
ceu latet aethereo quondam Canis acer Olympo,
sustulit auratum cum Taurus ab aequore Solem,
aut Atlante satae medio periere sereno.
Errantes numero quia diximus, ordine easdem
quem tenuere, Pater cum primum texere Mundi
corpus, et immenso Terram discludere Ponto
coepit, et in bis sex posuit quae Signa, canamus.
Quippe ferunt tenera surgentis imagine Mundi
hunc septem numero Errantes habuisse tenorem ;
inferior Cancrum cunctis ut Luna teneret ;
Sol medius magni premeret cum terga Leonis ;
Virgine in Icaria Cyllenius ipse mearet ;
examen mediae premeret Venus aurea Librae ;
horrida Martis enim gestabat Scorpius arma,
semiferoque Pater Divum Chirone sedebat ;
Saturnumque senem Capricornus et ipse vehebat ;
Saturnoque puer, curvam qui sustinet Urnam,
additus ; atque Jovi Pisces junguntur ; at Helles
vector habet Martem ; Tauro Venus addita pulchro est.
Mercurius Geminos junxit sibi ; et ordine verso
ista fuere Deum tectis data Templa supernis.
Harum quaeque suo claram de lumine lucem
protulit, excepto condensae corpore Lunae,
quae de Sole quidem sumpta sibi luce, calorem
non tamen ad terras Caelo demittit ab ipso.
Haec sunt illa eadem, quae corpora nostra tuentur,
lumina magna ; venit sensusque vigorque, ministris

his, hominum vitis ; agimus tamen omne, quod ipsi
non minus errantes, ad quinque referre solemus ;
verum alias veniens numerus compellit ad ipsa
lumina ; luminibus melius quoque jungere quasdam
dicitur, ut numerus numeratus tempus agit res.
Omnia fert etiam corpusque animumque recurrens
Jupiter, ut Soli numeros adspirat amicos ;
et Venus aurato spectat Latoida vultu.
Tum mihi, si quid agam, contingat pace serena
magna agere, et magnis tali me tempore gratum
regibus, ac dulces revocare ad carmina Musas.
At cum Saturno quoniam concordia Soli
nulla, nec est Lunae duro cum Marte voluptas,
nulla fere humano generi Saturnia lampas
commoda, nec Martis rutilum jubar utile cuiquam.
Mercurium Graii Divum dixere ministrum.
Se comitem quoniam nunc bis, nunc addidit illis.
Luna dies postquam triginta incognita fecit,
abstulit ex oculis hominum fraterna repente
lumina, et adverso turbavit lampada cornu.
Aut ter quinque dies ubi jam confecerit, ipsa
deficit, in Caeli modo si volvuntur eodem
limite, cum medium secuerunt protinus orbem
Signiferi ; via quae defectus una vocatur.
Tempore defectus Solis Lunaeque videbis
non alio ; atque ideo numerum si forte notabis
temporis atque loci, numquam te tristia fallent
lumina, nec dubio spectabis sidera vultu.
Ceu genus humanum quondam caligine mira
ultima consumpti credebat saecula Mundi,
cum Pater Aethereo spoliavit Lumine terras,
extra Orbem medium cum Sol et Luna negarent
defectus fieri ; tali sed tempore causa
major erat, quam quae Mundi ratione fuisset.
Signa juvat varii si te quoque discere Solis,
scire licet, facilemque viam praebemus. Ibero
cum cadit Oceano, si lucidus exstat, Eois
clarus et exit aquis, Borea tardante, videbis
tranquillosque dies, et motas vertice silvas ;
nec metus insano tibi tum te credere ponto.
Sin vero croceum maculis distinxerit orbem,
cum croceo surgens Aurora rubebit amictu,
Auster et in nubem Libyco se tollet ab alto ;
omnia praecipiti miscerier imbre videbis.
Pallida si croceis veniens Aurora quadrigis
nubibus adversis radios infringet anhelos,
grandine terrifica campi pulsantur et urbes,
nec minus interea tremuli maris unda tumescit,
jamque obnixa cavas impellunt flamina nubes ;
stant simul obnixi caelo, simul aequore toto
turbida navifragi condensant nubila venti,
namque Notus tepidis caelum complectitur alis.
Parte alia insurgens paulatim excedit ab antro
horridior Boreas Getico ; cunctantur euntes
Austrique Zephyrique diu ; dabit ecce fragorem
ingentem cumulis tumidarum ventus aquarum.

Verum ubi caerulea spectabit lampade terras,
Jupiter udus aquas caelo demittet ab atro ;
igneus ante obitum fuerit si forte, sonoris
flatibus adversi venient in proelia venti.
Luna quater postquam tenuata reduxerit ora,
si caelo puram faciem sine labe, sine ullis
ostendit maculis, et acuto candida cornu
venerit aetherias caeli manifesta sub oras,
omnis ubique dies toto sub mense manebit
clarus ; et elato frustra terrebere vento.
At post terga sui primum cum cognita fratris
cernitur, et pulsos renovata recolligit ignes,
cornibus obtusis nigrum tenet aera, magnus
imber erit ; nigro semper pluit illius ortu.
Ventus erit, roseo si punicet illa rubore.
Ordine sed nostro repetamus coepta priori ;
nec curanda quidem quae sint mittenda sequamur ;
neve super quae sint alias dicenda canamus ;
omnia neve diu liquido super aethere, neve
aere multa super memoremus ; ut aureus ipse
Jupiter auratis Junonem amplectitur ulnis,
neu Pater ut mediam praecinxerit Amphitrites
tellurem ; verum quae sint habitata Plagarum
diversarum acri doceamus acumine mentis.
Queis Pater aethereo dispensat lumina curru,
seu supra terras, seu se libraverit infra,
quatuor esse ferunt habitatas ordine terras.
Temperies longe quas est amplexa superni
infernique soli, tellus habet una viros, qui
nos et adire queunt, et sunt regione sub una.
Aequipedes alios patrio sermone vocamus,
Antoecos Grai, nostro qui sole fruuntur
parte sub adversa superi sub corpore Caeli
verticis austrini prope sidera condita nobis.
At qui circum habitant Graio sermone Peroeci
dicuntur populi, sua qui vestigia contra
nostra tenent, Graia Antipodes quoque voce feruntur.
Illorum Antipodes et nos sumus ordine verso ;
nec nostri adspiciunt vestigia nostra Peroeci,
nam Peroecorum nos et liquet esse Peroecos.
Est nobis unum hoc, nec non commune Peroecis,
illam habitare plagam, quam temperet aestus, et altum
frigus in adversa regione sub orbe supernorum
aequipedum ; atque aestas, gelidaeque brevissima brumae
tempora sunt eadem, simul incrementa dierum.
Sed tamen hoc reffert : nam cum nox exit ad illos,
incipit ipse dies nostris se reddere terris ;
atque ubi venit hiems nobis, his vertitur aestas.
Antipodum nobis nihil est commune ; sed illa
convertunt, lucemque vident, cum nocte teguntur
aequipedes nostri supera tellure locati.
Quin Natura jubet cunctos hos esse creatrix
magna virum, et tellus omni de parte nitenti
Sole repercussa, ut variis animantia formis
mater alit rerum natura benigna ; nec ipsi
antipodes imo nostri labuntur Olympo.

Sed grave quodcumque est terram petit ; haud magis illi
ima tenent Mundi, quam nos, qui summa tuemur
sidera ; sub pedibusque suis nos esse putantes,
saepe timent summo lapsos succedere caelo.
Sunt qui non alia credunt tellure morantes
esse, nec Antipodas, nostrosque manere Peroecos
usque alios, praeter nostra regione videndos
aut visos, magni cum dividat unda remotos
Oceani Antoecos ; quos qui negat esse, negabit
Antipodas. Quid aget magnus tellure sub alta
Phoebus ? Aget quidnam Phoebi germana decori
Luna Jovis magni Latonae ac lucida proles ?
Quippe ita crediderim, fuerit si Terra rotunda,
ut memorant, rerum causas quicumque sequuntur.
Instar enim pauci quidam dixere theatri
tellurem, quidam cubaea stare figura.
Verum ita si fuerit, Phoebo surgente, videbunt
lumina clara prius, quam Persae, Solis Iberi.
Nam cava si fuerit tellus quae proxima Soli est,
noctis adhuc nigra staret languentis in umbra,
altera pars magnum Phoebi cum passa calorem
lustraretur eo, prima regione relicta ;
luce etiam semper major nox atra maneret,
ac prior ipse dies, quam Persis, iret Iberis ;
quod fieri contra certa ratione videmus.
Sol prius ad Persas numeratis quatuor horis
tollitur, adversos afflet quam pronus Iberos.
At si plana fuat Tellus, aequaliter omni
parte polus Mundi distare videbitur illo
a Circo, celeri qui dividit omnia visu.
Verum apud Aethiopas polus est non altus, ut idem
despicit adversos altissimus ipse Britannos.
At mediis varia ratione magisve minusve,
menstruaque una dies extremae in litore Thylae
cernitur, aurato si stat Titania Cancro
lampas, et Aethiopum nullas facit urbibus umbras,
praecipuae mediae, dicunt quam forte Syenae.
Quippe dies patriis aequales omnibus essent,
omnibus in patriis eadem nox, umbraque magnae
una eadem Terrae tenerum fuscaret Olympum ;
terminus idem oculis caelo foret unus aperto.
Vix caput Anguis enim Graia regione videtur,
atque pedes Helices ; alia de parte Britannis
nec caput inflexi fast est spectare Draconis ;
parte nec ex eadem Graium regionibus ullis
Canobos adparet caeli clarissimus ignis.
Unde licet Terram forma constare rotunda
dicere ; nec Tellus alia quadrangula forma est.
Ipse dies quoniam sex horas omnis haberet,
noxque decem horarum nec non bis quatuor esset.
Nec fuso Tellus quae se tenet aere circum
defugit a Zephyris Eoum admota sub Eurum ;
nec contra in Zephyrum Nabathaeis cessit ab Euris ;
nec magis Arctoos Tellus Aquilonis ad axes
versa, meri quam sit parti subjecta diei.
Eoo sedeat Tellus si proxima Mundo,

adsurgente breves umbrae sub Sole venirent ;
majoresque forent aliis labente sub undas.
Ac majora quidem nobis orientia cuncta
signa viderentur, propius si forte mearent,
nec minus et Zephyro si stet subjecta tepenti,
signa viderentur majora cadentia cuncta.
Sol et Luna novum lumen brevioribus umbris
labentes veherent ; contra surgentibus illis
majores caderent longe sub Solibus umbrae.
Sin vero septem fuerit submissa Trioni,
hac sub parte jacens omnis spectabitur umbra,
Sole caput niveum terris tollente relictis
cum primum roseis Aurora retexit Olympum
curribus, et nigram Terrae Dea reppulit umbram.
Nec minus Austrino fuerit si proxima caelo,
omnis in hanc rursum regionem procidet umbra,
Sole vel hesperias se se condente sub undas,
aut idem adflatis primum cum surgit Eois.
Nec vero Tellus media plus parte levatur,
aut premitur Mundi : nam sex quae signa videntur
terrarum supra, spatiosive aequora Ponti,
aut plura, aut certe non tot manifesta paterent.
Nam medio si plus Tellus se se Orbe levaret,
semper ibi noctes spatiis majoribus irent.
At medio contra Tellus depressa sub Orbe
si jaceat magis et brevior nox atra manebit.
Nec minus Oceani formam tenet unda rotundam,
et maria, atque animae tractus, aetherque profundus.
Inque duas partes divisum dicere Mundum
non dubitant, supra Lunam ut quaecumque moventur
esse ferant semper Divum immortalia tecta,
intemerata situ spatiosis aetheris oris.
Haec facere, illa pati memorant quae cuncta sub ima
semina sunt Luna, flammas, animamque tepentem,
undarumque locos, et siccae pondera Terrae.
Haec quoque mutantur superis et semina formis.
Terra tenet medium ; pro qua quoque candida Luna
dicitur aetheriis regionibus ; unda sub ipso
Mercurio est ; aer pro te, Cytherea, putatur.
Ignis habet Solem ; Marti sed rursus et ignis
additur ; aerio pro Jupiter orbe locatur ;
Saturnus gelidae pro frigore ponitur undae,
Terraque pro magni summo stat corpore Caeli.
Nec vero est Ignis siccae sine semine Terrae,
communesque manent una sub lege ; sed Ignis
Aeris in partem magno venit ipse calore.
Humidus ast Aer gelidae se miscuit Undae ;
miscet Aquae Tellus se frigore, participemque
Naturam inter se tenuerunt semina Mundi
quatuor ; unde hominum genus haec pecudumque volantumque
arboreumque simul, nec non simul omne natantum
temperies magno nutrit permixta vigore.
Nunc simul hibernus quae tempora noctibus addit,
quae rapit aestivus Sol impiger ordine pandam,
et Cleomedeas romanis versibus artes
exsequar, ingenti patriae perculsus amore,

dulcis Apollineas referens tibi, Parma, coronas.
Nam duo Solstitia efficiunt Caper, et nova magni
effigies Cancri, cum Sol altissimus Orbem
ipse tenet summum, aut imos invergit ad Austros.
Verum aequant noctes Aries et Libra diebus.
Sed cum Sol summum tenuit pulcherrimus Orbem,
magna die cum jam lux intempesta vocatur ;
ultimus in Boream qui ducitur Orbis, is ille est
aestivus Tropicus, qui vertit ab aethere Solem,
inque Notum seris Phoebum sinit ire quadrigis,
incipit a nobis tardum cum texere gyrum ;
cum fugit a nobis Phaeton, et lucida lampas,
quem fecit hibernus Tropicus fuit ultimus Orbis.
Incipit in Boream volvens Sol inde reverti ;
impiger Aegoceron nam linquit, et aethera contra
nititur adscendens peraratum denique Caelum ;
atque ubi jam medios victor percurrerit Orbes,
aureaque Aeolii calcarit vellera Phryxi,
aequabit noctes caeli mensura diebus,
inde sub aestivum veniet Sol candidus Orbem.
Atque ubi discedens Libram jam contigit, aequas
efficiet rursum noctes Pater ipse diebus.
Hanc, duodena secans Sol aureus astra, peregit
ipse viam ; Caper est, gelido quem mense decembri
Sol premit ; hinc Solem jam coepit Aquarius ultro
tollere ; dehinc Pisces oriuntur in alta vehentes
lampada Phoebeam, donec Titana recepit
hinc Phryxea pecus, Taurumque ingressus, et ambos
Tyndaridas, Cancrumque tenens, non amplius altum
aethera, nec superas audet se tollere ad oras ;
sed redit ad terras magnum dum forte Leonem
arripit, ac prona de Virgine labitur ; aequam
inde tenens Libram, medios jam colligit Orbes.
Scorpion hinc labens paulatim linquit, et arcus
jam premit Haemonios ; Capricorno deinde retento
ultima depresso deducitur orbita Circo.
Summa igitur Cancri via dicitur, infima Capri.
Esse quidem portas veteres dixere Pelasgi
has hominum divumque duas ; quod vita per illam
defluit in terras, per et hanc ad sidera rursum
fertur, et aethereo revolans se sistit Olympo.
Sol igitur quantum superas te tollit ad oras,
tanto tarda magis nostro lux orbe moratur.
Nam Tropicos inter medium Sol aureus orbem
circuit ; et magnum volvens pater efficit Annum.
Atque haec causa quidem, quare sint frigida quaedam,
haec calida, haec autem cur temperet aestus et altum
frigus ; ob hoc quoniam Sol non excedat iniquum
signiferum, a Cancro Capricornum lapsus ad ipsum.
Sed neque quae Tropicos inter sunt tempora noctis
atque die spatiis aequalibus ire feruntur.
Namque decem novies Sol cursibus ambiit annum,
dimidioque die cum quatuor ante diebus,
Ariete de medio Cancrum quam surgat ad altum.
Atque decem novies Sol cursibus ambiit annum,
dimidioque die geminis cum deinde diebus,

ante cadens victor Libram quam vergat ad aequam.
Hinc quoque dum fugiens Capricornum cedit ad imum,
ipse quater Phaeton viginti forte diebus
atque octo finem circo facit aureus imo ;
atque decem novies Sol cursibus ambiit annum
hinc petit Aeolii dum vellera lucida Phryxi.
Maxima Tyndaridae spatia obtinuere Gemelli ;
at minima Arcitenens currentis in aethere Phoebi.
Ergo ubi principium crescendi coepit anhelis
lux nova solis equis, duodecima surgit inique
pars incrementi primo jam mense ; secundo
pars sexta ; at quartam mensis quoque tertius auget.
Tum quartus quartam, sextam sed quintus habebis ;
at sexto pars est duodecima reddita mensi,
sex horis minimam superat lux maxima namque.
His data temporibus Phoebo via certa decoro,
purpureas Caeli nobis qui flectit habenas.
O decus aethereum, lux o clarissima caeli
Sol hominum Divumque patens ; quo carmine laudes,
quae mihi Musa tuas memoret ? Tu causa creandi
omnia ; cum magna rerum tu semina Luna
accipis, et valido nutriris cuncta vigore.
Aetherei princeps tu luminis almus, et auctor
lucis, et immensi moderator magnus Olympi,
salve hominum sator, ac miseris accommoda terris
Lux aeterna Deum ; tua vis, tua, Phoebe, potestas
abducit morbos, caelumque salubre serenat.
Terrigenam Pythona puer Latonius arcu
horrisono innumeris mactasti, parve, sagittis.
Ora novo aeternae vestiris flore juventae.
Te pia Castalio lavit Latona fluento,
ambrosios dulci perfundens nectare crines.
Instabilem Delon medio tu sistere ponto,
tu potes et Musa contendere victor ; iniquas
noscere tu Parcas ; strepuit si argenteus arcus
turpia lustratis pereunt animalia terris.
Phoebe salutiferas aegris mortalibus herbas
addis, et ingrata cingis pia tempora lauro.
Tu Phryga pelle sua spoliasti, Phoebe, superbum ;
tu Niobem natosque premis ; tu matris amore
incensum Tityon Stygia provolvis arena.
Huc ades, o Superum clarissime, pulcher Osiri,
seu te hiberna sinunt Lyciae dumeta Zeliae,
seu vocat Aegaei mediis tibi cognitus undis
Cynthus, et Eurotae placidissima fluminis unda ;
sive mihi Liber, seu sis mihi dictus Apollo,
an Titana magis cupias te forte vocari,
laeta Sigismundi nunc tempora ducis, honorem
cui summum Omnipotens patriis concessit in armis ;
qui nunc Italiam pacis sub legibus omnem
justitia, atque fide magna dicione tuetur ;
ut qui caeca legit rapidis contrarius undis
marmora ventisoni revoluta per aequora ponti
nauta mari in magno voces atque irrita surdis
litoribus dat verba, sonosque effundit inanes ;
verum ubi ad optatos subduxit carbasa portus

rupe ligat vasta munitam forte carinam.
Ac, ne pace bona nullis terat otia factis,
templa Deo victor statuens ingentia summo ;
nunc exhausta novis decorat sua bella trophaeis,
Gallicaque antiquis reddit nova moenia terris
amnis in Hadriacas qua Sena labitur undas.
Nec minus insigni se se germanus honore
extulit ante alios Malatesta Novellus ; et armis
hic quoque depositis, tua munera, pulcher Apollo,
Castaliis Musas primus deducit ab antris.
Ille fide, ille animo constanti, ac denique sancta
justitia invictum potis est superare Catonem.
Hos saltem Italiae custodes, maxime Divum
Phoebe, fove, longosque piis da fratribus annos.
Ille inter Musas longum se oblectet ; avitum
dum regit imperium bello fremat ille superbo,
nuper et Ausoniam saevis ut vindicat armis
Alphonsi, Etrusca cogit quem cedere terra,
ac libertatem populis dat habere Latinis ;
mox quoque in audaces vertat sua proelia Turcos,
infidasque manus, inimicaque pectora Graiis
heu miseris ! Quos clade nova tot millia campis
perdita Threiciis Byzantis moenia juxta
abstulit una dies, saevit dum barbarus hostis
in Graios omnes, Trojam dum jactat avitam,
Dardaniosque patres, Ida quod natus aquosa est.
Urbs augusta potens regum domus alta potentum,
Romanis opibus, Romanis civibus aucta,
imperio quae sola suo Garamantas et Afros,
Auroram et Zephyrum, nec non Boreamque Notumque
subdiderat pedibus, domitumque subegerat Orbem,
capra dolis pueri ; quin et Phryx semivir illa
nunc potitur victor, Romanaque despicit arma,
discordesque animos Italum sine fine furentum.
Nec satis indignum fuerat, quod templa, quod aedes
diruit : antiqua sub religione, nefandum !
Stare vetat populos ; at nos toleramus iniquas
gentibus imponi leges ? Ne, Christe, furorem,
ne patiare, precor, per secula surgere talem.
Da, Pater, Ausoniis mentem da gentibus unam
ire Asiam contra ; cupiant illum omnibus unum,
illum ipsum studiis, qui barbara saepe fugavit
agmina, et Italia duros ejecit Iberos.
Quae simul ac cecini numeroso carmine bella
vix mihi terdenos aetas data viderat annos.
Illa autem si bella canam, quis me altius alter ?
Quamquam aderunt multi, memorent qui facta potentis
Pandulphi, moresque hominum, Lelegasque, Phrygasque,
Europaeque manus, Italos, fortesque Pelasgos,
Pannoniosque truces, Hispana, Britannicaque arma.
Haec meus ante alios memoret simul ore diserto
Parleo ; ut ipse libens optata Basinius arma ;
qui nunc Astrorum motus, subjectaque Divum
templa cano, atque vias semper volventis Olympi.